

in praedicto loco tam in vigiliis quam in missis sicut pro fratre loci sollempnis recordatio eius fiat. Unde ne quis de nostris successoribus in futurum loco ipsi suscitare valeat quaestionem, praesentem paginam conscribi et sigilli ecclesiae nostrae testimonio fecimus communiri. Datum Misne III. Kalend. Aprilis anno domini M°.CC°.XXVII°. pontificatus domini nostri Brvnonis episcopi XIX°.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit einem Bruchstück des Capitelsiegels an Fäden von gelber und rother Seide.

No. 396. 1227. 20. Mai.

*P. Gregor IX. beauftragt den Abt zu Buch, den Probst zu St. Afra und den Domdechant zu Meissen das Kreuzkloster kräftig zu schützen und gegen Schädiger desselben mit ernstest kirchlichen Strafen zu verfahren.*

Gregorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis .. abbati de Bowoch Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis, .. praeposito sanctae Afrae et .. decano Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicae sententiae severitas enervatur, ut viri religiosi et ii maxime qui per sedis apostolicae privilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilectae in Cristo filiae .. abbatissa et sorores monasterii sanctae Crucis Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis tam de frequentibus iniuriis quam de ipso cotidiano defectu iustitiae conquerentes devotionem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores earum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint praesidio respirare. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatinus illos, qui possessiones vel res seu domos sororum ipsarum irreverenter invaserint aut ea iniuste detinuerint, quae praedictis sororibus ex testamento decedentium relinquuntur seu in ipsas contra apostolicae sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti praesumpserint promulgare vel decimas laborum de possessionibus habitis ante concilium generale quae propriis manibus aut sumptibus excolunt seu nutrimentis ipsarum spretis apostolicae sedis privilegiis extorquere, monitione praemissa, si laici fuerint publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis; si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec praedictis sororibus plenarie satisfaciant et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum iniectioe anathematis fuerint vinculo innodati, cum dioecesanis episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem in quibus bona praedictarum sororum<sup>1)</sup> per violentiam detenta

<sup>1)</sup> In einer zweiten sonst völlig gleichlautenden Bulle P. Gregors IX. vom 1. Juni (Dat Laterani Kal. Junii) desselben Jahres sind nach sororum die Worte vel hominum suorum eingeschaltet.